

Cometas obscuro, sed potius Phenomena extra aërem in ipso Cælo existentia. Quod idem mora Cometarum supra Horizontem evincit. Ceterum Cometas nihil aliud esse, quàm atmosphæram quandam, h. e. laxam congeriem molecularum crassiuscularum ex corporibus mundanis, & imprimis ex Sole, effluviolorum instar egredientium, quæ hinc inde per Cælum disperse aliquando proprius coeunt, ut radios Solis conjunctim reflectere possint, tum ex obscuritate luminis, tum ex confusâ eorum perimetro, quâ nubium rationem ad amissim referunt, clarè satis intelligitur.

SECT. II.

De Mundo secundum Formam & Dispositionem partium suarum spectato.

CAP. I.

DE SITU.

I.

De Sphærâ mundi Trinunâ, deque ejus Amplitudine.

S. 1.

QUoniam ex quovis loco Terræ Sidera, præsertim fixa, in oppositis plagis observata sub eadem magnitudine & distantia inter se constanter appareant, fieri nequit, quin Terra, saltem ad sensum, in medio Corporum mundanorum, adeoque totius Mundi, consistat.

S. 2. Sicut autem congeries Stellarum ex Terrâ, quam circumstat, visa, velut aciem orbicularem refert, unde Cælum in Sphærâ concavæ modum Terricolis adparet; ita Stellarum agmen extrinsecus quoque se componere in rotunditatem; ipsumque ad eò Mundum esse Sphæram, cui Terra centrum, saltem ad sensum largiatur, ex ratione Motuum supponimus.

S. 3. Licet autem una quoad rem sit SPHÆRA MUNDI, doctrinæ tamen gratia quasi trinunam concipere discentem oportet, & primò quidem seorsim concipienda se sistit Sphæra spærit

MUNDI